

# DECRETO DEL SANTO OFICIO SOBRE EL COMUNISMO

La S. C. del Santo Oficio, con fecha 1 de julio de 1949, ha publicado el siguiente decreto:

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione:

1. utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare;
2. utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere;
3. utrum christifideles qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint;
4. utrum christifideles, qui doctrinam materialisticam et anti-christianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

Emi. ac Revmi. Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, prae habito RR. DD. Consultorum voto, in consessu plenario feriae III (loco IV), die 28 junii 1949, respondendum decreverunt:

Ad 1. *Negative*: communismus enim est materialisticus et anti-christianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt;

Ad 2. *Negative*: prohibentur enim ipso iure (cfr. can. 1399 C. I. C.);

Ad 3. *Negative*, secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi;

Ad 4. *Affirmative*.

Et sequenti feria V, die 30 eiusdem mensis et anni, Ssmus. D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Excmo. ac Rvdmo. Dno. Adsesori S. Officii impertita, relatam Sibi Emorum. Patrum resolutionem adprobavit et in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali promulgari iussit.—Datum Romae die 1 iulii 1949."

Posteriormente, y como aclaración al n. 3 de este decreto, el Santo Oficio declaró lo siguiente con relación al matrimonio de los comunistas:

"Quaesitum est utrum exclusio communistarum ab usu Sacramentorum in Decreto S. Officii diei 1 iulii 1949 statuta, secum ferat etiam exclusionem a celebrando matrimonio: et quatenus negative, an communistarum matrimonia regantur praescriptis canonum 1060-1061.